For more resources and updates, please visit
http://latinappreciation.wordpress.com/

# Latin Appreciation Workshop

*Breviary Study*

*Session VIII of IX*

## Te Deum

Te Deum laudámus: *

te Dóminum confitémur.

Te ætérnum Patrem,*

omnis terra venerátur.

Tibi omnes ángeli,*

tibi cæli et univérsæ potestátes:

tibi chérubim et séraphim *

incessábili voce proclámant:

Sanctus,* Sanctus,* Sanctus *

Dóminus Deus Sábaoth.

Pleni sunt cæli et terra*

maiestátis glóriæ tuæ.

Te gloriósus* Apostolórum chorus,

te prophetárum*

laudábilis númerus,

te mártyrum candidátus*

laudat exércitus.

Te per orbem terrárum *

sancta confitétur Ecclésia,

Patrem* imménsæ maiestátis;

venerándum tuum verum*

et únicum Fílium;

Sanctum quoque*

Paráclitum Spíritum.

Tu rex glóriæ,* Christe.

Tu Patris* sempitérnus es Fílius.

Tu, ad liberándum susceptúrus

hóminem,*

non horruísti Vírginis úterum.

Tu, devícto mortis acúleo,*

aperuísti credéntibus regna

cælórum.

Tu ad déxteram Dei sedes,*

in glória Patris.

Iudex créderis* esse ventúrus.

Te ergo quæsumus, tuis fámulis

súbveni,*

quos pretióso sánguine redemísti.

Ætérna fac cum sanctis tuis*

in glória numerári.

Salvum fac pópulum tuum, Dómine,

* et bénedic hereditáti tuæ.

Et rege eos,*

et extólle illos usque in ætérnum.

Per síngulos dies * benedícimus te;

et laudámus nomen tuum in

sæculum,*

et in sæculum sæculi.

Dignáre, Dómine, die isto *

sine peccáto nos custodíre.

Miserére nostri, Dómine,*

miserére nostri.

Fiat misericórdia tua, Dómine,

super nos,*

quemádmodum sperávimus in te.

In te, Dómine, sperávi: *

non confúndar in ætérnum.